



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Utrùm conscientia erronea sit morum regula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

erum ad assidendum agro. Talis autem tenetur adhibere moralem diligentiam ad deponendam perplexitatem conscientiae. Quod si, etiam adhibita morali diligentia, perseveret illa perplexitas, tenebitur ad faciendum id, quod iudicabit minus esse malum, & faciendo non peccabit: non enim peccat, qui facit, quod in se est, ad vitandum peccatum; & homo faciendo, in casu proposito, id quod iudicat minus esse malum, nequidem interpretativè velle malitiam illius censei potest in estimatione prudenti.

Conscientia dubia, vel potius dubium, est suspensio intellectus, non valentis pro alterutra parte contradictionis se determinare: unde quasi medius haeret inter bonitatem & malitiam actionis, neutram positivè iudicando. Dubium autem subdividitur in negativum & positivum, in speculativum & practicum, & in dubium juris & facti. Dubium negativum est, cum suspensio intellectus oritur ex eo, quod pro neutra parte rationes appareant: positivum verò, cum intellectus suspensio oritur ex eo, quod appareant aequalia pro utraque parte momenta, quibus aequaliter in utramque partem trahitur intellectus, unde inter utramque haeret velut in aequilibrio. Dubium speculativum dicitur, quod vel non versatur directè circa actionem humanam, ut cum dubito an hæc res sit mea; aut solim versatur circa actionem humanam generaliter, abstrahendo à circumstantiis particularibus, ut si dubito utrum liceat mihi vendere rem, de qua dubito utrum sit mea: quod dubium non est practicum, nisi secundum quid, & solet vocari speculativè practicum. Dubium verò practicum, simpliciter scilicet, seu practice practicum, est illud quod versatur circa bonitatem & malitiam actionis hic & nunc exercendæ, spectatis omnibus circumstantiis particularibus. Dubium juris est illud quod versatur circa jus aliquod, ut cum dubito, utrum hæc actio mihi licita sit, an illicita. Dubium verò facti est illud quod versatur circa aliquod factum, ut cum dubito, utrum hoc fecerim, an non.

Dividitur 5. conscientia in probabilem & improbabilem. Probabilis est actus, quo intellectus prudenter, quamvis non sine aliqua formidine oppositi, iudicat actionem hic & nunc exercendam, esse licitam, vel illicitam. Ita autem iudicat intellectus, quia rationes iudicandi ex una parte non sunt planè convincentes, & ex altera tales sunt, ut possint ad positivum assensum movere virum prudentem. Conscientia improbabilis est actus, quo intellectus imprudenter iudicat de bonitate vel malitia actionis hic & nunc exercendæ; quia scilicet iudicium ejus non nititur, nisi momentis, quæ hic & nunc virum prudentem ad assensum movere non possunt. Ex his obiter adverte, opinionem verè probabilem relatè ad cognoscentem, esse eam omnem & solam, quæ cognoscentem movere potest ad assensum prudentem: improbabilem verò relatè ad cognoscentem, esse eam omnem, quæ cognoscentem non nisi ad imprudentem assensum movere potest.

Porro non est cur hic immoremur circa conscientiam rectam seu veram, cum per se clarum sit, peccare non posse, qui eam sequitur; & è contra cum omnem peccare, qui contra illam operatur. Et verò quicumque sequitur illam, agit conformiter ad legem & rectam rationem: quicumque verò contra illam operatur, operatur contra legem, & rationis rectæ dictamen. Circa conscientiam perplexam, paucis, quæ jam dicta sunt, unum hic addendum superest, nempe quod si perplexus, post adhibitam moralem diligentiam ad tollendam perplexitatem, adhuc iudicat utramque partem contradictionis aequalem habere malitiam, potest absque peccato, quam voluerit amplecti: tunc enim non habet sufficientem libertatem ad peccandum imputabiliter. Circa conscientiam scrupulosam, hic ad propositum nostrum sufficit, quod scrupulosus illam contemnere & contra illam agere possit & debeat, si modò aliundè, quod potest, præsertim si juvetur, habeat moralem certitudinem de bonitate actionis hic & nunc faciendæ. De conscien-

tia probabili, Disputatione sequenti accuratè agemus. Superest igitur ut hic de conscientia erronea & dubia, quanta fieri poterit brevitate, disseramus. Pro quo sit

ARTICULUS II.

Utrum conscientia erronea sit morum regula.

RESPONSIO I.

Peccat, qui operatur contra conscientiam erroneam, qua intellectus iudicat operationem hic & nunc esse præceptam vel prohibitam, sive invincibiliter, sive etiam vincibiliter erronea sit conscientia.

Probatur 1. Ex Apostolo Roman. cap. 14. ubi sic ait: Qui autem discernit, supple, inter cibos, quia scilicet iudicat alios præ aliis illicitos esse, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide; omne autem, quod non est ex fide, peccatum est. Itaque ex Apostolo, ut interpretantur Patres, qui iudicat aliquos cibos præ aliis esse illicitos, & tamen illos manducat, peccat; quia, licet cibi lege Moisaica prohibiti, post institutam legem gratiæ, non sint amplius vetiti, ac proinde nec immundi; tamen manducat sine dictamine conscientiæ, seu persuasione, quod hæc comestio sibi licita sit; imò manducat cum persuasione, quod comestio sit sibi illicita. Illud autem omne peccatum est, quod non est ex fide, hoc est, quod non sit ex prudenti persuasione, quod licitum sit. Propter hanc auctoritatem Apostoli, & communem Patrum interpretationem, aliqui Doctores catholici oppositam sententiam censent esse hæreticam.

Probatur 2. ratione. Quia qui exercet actionem aliquam de se bonam, vel saltem indifferentem, putans illam esse malam, in estimatione prudenti censetur perinde velle malitiam, ac si actio esset re ipsa de se mala: cum nolit ab illa abstinere, quamvis ei proponatur ut mala. Ergo peccat: nam ad peccatum sufficit ut operans velit interpretativè malitiam; malum enim ex quolibet defectu.

Dices. Actio operantis contra conscientiam erroneam conformis est legi æternæ, dictanti illam esse licitam. Ergo non potest esse peccatum. *Resp.* nego consequens. Nam 1. lex æterna non est immediata, sed mediata tantum regula actionum humanarum; unde illas non honestat, nisi mediante conscientia recta, qua applicatur ad illas, & quæ abest in casu proposito. 2. Lex æterna sic dicit actionem illam de se licitam esse, ut simul dicat, re ipsa esse illicitam & malam, quia non fit cum persuasione, quod sit licita. Unde actio illa difformis est legi æternæ. Immo negari potest ant. Nam lex æterna dicit quidem talem actionem, secundum se consideratam, licitam esse & bonam: at consideratam, ut est operantis contra conscientiam erroneam, dicitur illicitam esse & malam.

Dices iterum. Dici non potest, in qua specie sit peccatum operantis contra conscientiam erroneam. *Resp.* neg. Nam v. gr. si operetur contra conscientiam erroneam, dictantem aliquid hic & nunc præceptum vel prohibitum esse ex motivo religionis, peccabit peccato sacrilegii contra religionem. Item si operetur contra conscientiam erroneam, dictantem hic & nunc furandum esse ad sublevandam miseriam pauperis, peccabit contra charitatem proximi, & sic de cæteris. Ratio autem est, quia malitiam religioni oppositam in primo casu, & in secundo malitiam oppositam charitati proximi interpretativè vult.

RESPONSIO II.

Peccat etiam, qui operatur secundum conscientiam vincibiliter erroneam, qua intellectus iudicat aliquid hic & nunc licitum esse, quod re vera illicitum est, & prohibitum. At non peccat, si operetur secundum conscientiam invincibiliter erroneam, similiter dictantem

an aliquid hic & nunc licitum esse, quod non est licitum, sed illicitum & prohibitum.

Prob. 1. pars. Nam 1. actio est mala materialiter. 2. Hæc malitia materialis imputabilis est operanti: error enim vincibilis, sicut & vincibilis ignorantia, quam importat, excusare non potest operantem ex eo. Præterea, actio operantis in casu proposito habet omnia requisita ad peccatum formale. Nam 1. est voluntaria in se voluntate facti; cum sit saltem secundum substantiam ab operante cognita. 2. Non est quidem voluntaria in se voluntate peccati, quia non est ab operante cognita secundum circumstantiam malitiæ; at, quod sufficit, voluntaria est voluntate peccati in causa, nempe in conscientia vincibiliter erronea, vel, si vis, in ignorantia vincibilis & culpabili, ex qua operans hic & nunc operatur. *Obiter observa*, nos hic per conscientiam vincibiliter erroneam, sicut & per ignorantiam vincibilem, intelligere eam quæ non solum potest, sed etiam debet deponi; vel, quod idem est, intelligere eam, quæ versatur circa ea, quæ operans non solum potest, sed etiam tenetur scire. 2. *Pars probatur.* Quia conscientia invincibiliter erronea, sicut & ignorantia invincibilis, quam importat, excusat operantem ex ea.

Dices. Si operans secundum conscientiam vincibiliter erroneam, dictantem aliquid hic & nunc licitum esse, quod illicitum est & prohibitum, peccat, cum etiam, ut probatum est, peccet operando contra illam, constituitur in necessitate peccandi: non enim potest non alterutrum facere, hoc est, vel secundum, vel contra illam operari. Absurdum conf. Ergo, &c. *Resp. neg. seq. maj.* Nam potest, morali diligentia adhibita, conscientiam illam deponere, & deponendo non peccare. Quod si, perseverante conscientia illa, non potest non peccare, ipse sibi imputare debet; & hæc peccandi necessitas non est nisi consequens & voluntaria necessitas, quæ proinde non debet, nec potest illum excusare.

At inquit. Quid si operandi necessitas ita urgeat, ut operans non possit adhibere sufficientem diligentiam ad deponendam conscientiam erroneam? *Res.* si tunc, quam potest, diligentiam adhibeat, & de præterita negligentia doleat, non peccaturum, sese conformando conscientia erronea; quia tunc actionis malitia desinet esse illi voluntaria. Secus, peccabit, etiam operando secundum conscientiam erroneam; quia tunc malitia actionis erit illi voluntaria in causa, sicut & peccandi necessitas, in qua tunc versabitur.

RESPONSIO III.

Conscientia vincibiliter erronea, dictans aliquid hic & nunc præceptum esse, vel prohibitum, non obligat.

Prob. Nam 1. conscientia illa non obligat, quam tenetur homo deponere, & deponendo, ut ita loquar, abjicere. Atqui homo tenetur deponere conscientiam vincibiliter erroneam. Ergo, &c. 2. Conscientia illa non obligat, cui non tenetur homo se conformare. Atqui homo non tenetur se conformare conscientia vincibiliter erronea. Ergo, &c. *Prob. bat. min.* Nam si homo teneretur se conformare conscientia vincibiliter erronea, se conformando non peccaret: nemo enim peccare potest, faciendo id, ad quod tenetur. Conf. est contra 2. *Resp.* Ergo, &c.

Dices. Si conscientia vincibiliter erronea, dictans aliquid hic & nunc præceptum vel prohibitum esse, non obligat, quare operans contra illam, peccat? *Resp.* Illum peccare; quia, ut jam dictum est, agit sine persuasionem, quod operatio sua sit licita; & quia saltem interpretativè vult malitiam, quam apprehendit in operatione sua.

At inquit. Ad quid ergo tenetur, qui habet conscientiam illam, si non tenetur illi se conformare? *R.* Tenetur illam deponere, & non peccare.

RESPONSIO IV.

Imò nequidem obligat, propriè loquendo, con-

Simonet Theol. Tom. I.

scientia invincibiliter erronea, dictans aliquid præceptum esse vel prohibitum.

Prob. Nam conscientia eatenus obligat, quatenus est debita primorum principiorum applicatio, vel intimatio legis re ipsa existentis: non enim aliunde habere potest vim obligandi propriè. Atqui talis non est conscientia etiam invincibiliter erronea, ut per se pater. Ergo, &c.

Dices. Operans tenetur se conformare conscientia invincibiliter erronea, dictanti aliquid præceptum vel prohibitum esse. *Resp.* Teneri, non quia conscientia illa propriè obligat, sed quia tenetur in omni operatione vitare peccatum. Operando autem secundum conscientiam invincibiliter erroneam, non peccat, & peccaret operando contra illam. Breviter. Operans tenetur se conformare conscientia invincibiliter erronea, quia non potest aliter peccatum vitare: nam neque illam deponere, neque ex fide contra illam operari potest.

RESPONSIO V.

Conscientia, siue vincibiliter siue etiam invincibiliter erronea, non est morum regula.

Prob. 1. De conscientia vincibiliter erronea. Nam repugnat hominem teneri ad deponendam & abjiciendam morum regulam. Atqui homo tenetur ad deponendam & abjiciendam conscientiam vincibiliter erroneam. Ergo, &c. *Prob. 2.* De conscientia invincibiliter erronea. Nam regula morum, dictans aliquid esse præceptum vel prohibitum, obligat. Atqui conscientia invincibiliter erronea, dictans aliquid esse præceptum vel prohibitum, non obligat, ut probatum est. Ergo, &c. Ratio est, quia illa tantum conscientia propriè dici potest regula morum, quæ est recta & debita primorum principiorum moralium, & legis siue naturalis siue positivæ applicatio. Atqui talis est sola & omnis conscientia vera. Ergo, &c.

Dices. Qui operatur secundum conscientiam invincibiliter erroneam, laudabiliter agit, nonnisi quia se conformando conscientia invincibiliter erronea, conformat se regulæ morum. Ergo conscientia invincibiliter erronea est morum regula. *Resp. neg. min.* Itaque laudabiliter agit, quia in operatione sua, quantum est in se, sectatur id quod rectum & honestum est, conformando se conscientia invincibiliter erronea, dictanti aliquid præceptum vel prohibitum esse.

Nota. Ex eo præcisè, quod se conformat conscientia invincibiliter erronea, solum vituperabilis non est, quia error invincibilis excusat, neque laudabilis est propter operationem conscientia invincibiliter erronea conformem, quia talis operatio non est laude digna; non enim est bona moraliter & honesta, cum sit materialiter mala, & bonum sit ex integra causa, malum verò ex defectu quolibet. Superest igitur, ut, qui se conformat conscientia invincibiliter erronea, laudabilis sit, propriè loquendo, propter solum affectum non peccandi, & quod rectum atque honestum est, in operatione sectandi, quantum est in se; qui affectus bonus est moraliter & honestus, ac proinde & laude dignus.

ARTICULUS III.

Utrum in dubio tutior pars sit sequenda.

RESPONSIO I.

IN dubio practico semper tutior pars sequenda est, ita ut semper peccet, qui in tali dubio amplectitur partem minus tutam.

Prob. Qui in dubio practico sequitur partem non tutiorem, sed minus tutam, facit aut omittit aliquid, de quo dubitat, utrum possit licitè illud hic & nunc facere aut omittere. Sed qui facit aut omittit aliquid, de quo dubitat, utrum licitè possit illud hic & nunc facere aut omittere, peccat. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam qui facit, aut omittit aliquid, de quo dubitat, utrum licitè possit illud hic & nunc facere aut omittere,

Bb facit